

108

D. O. D.
DISSERTATIO ACADEMICA
De
FUNDAMENTIS PRECARIIS
POTESTATIS,
PRÆCIPUE
CIVILIS, PONTIFICIS ROMANI,

CUJUS
PARTEM POSTERIOREM,
CONSENTIENTE AMPLISSIMO SENATU PHILOS.
IN REG. ACADEM. ABOËNSI,

PRÆSIDE
MAG. JOHANNE BILMARK,
HISTOR. ET PHIL. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORDIN.

*Pro obtainendis honoribus Philosophicis
Publico examini subjicit ,*

FREDERICUS RIGNER,
Ostro-Gothus,

In AUDITORIO MAJORI Die XVII Novembr.
Anni MDCCLXXXI.

H. A. M. C.

A B O Æ ,
Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL,

S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
REVERENDISSIMO DOMINO,
DOMINO
UNONI VON TROIL,
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI,
DIOESEOS LINCOPIENSIS EPISCOPO,
CONSISTORII ECCLESIASTICI PRÆSIDI,
SCHOLARUMQUE PER DIOECESIN EPHORO,
MÆCENATI MAXIMO

SACRUM.



§. IX.

Scilicet Historici antiquiores, quotquot Historiam CONSTANTINI M. consignarunt, & factas ab ipso constitutiones sollicite exposuerunt, ne ullam quidem mentionem donationis jam commemoratae faciunt; quamobrem etiam eadem primum Decretalibus Imperatoris GRATIANI, & horum distinctioni XCVI fuit inserta. Iisdem quoque Historicis plane ignotum fuit, CONSTANTINUM M. lepra fuisse affectum, qui proinde curationem ejus ferme miraculam reticent. Solus fere est ZONARAS, Monachus saeculi XII, qui, quum forte vidisset instrumentum donationis Constantinianæ, nec de ejus auctoritate dubitare auderet, fabulam de morbo Imperatoris bona fide adsumvit. Immo verisimile est, auctorem fictitiae hujus donationis admodum fuisse hallucinatum, atque CONSTANTINUM M. cum CONSTANTINO COPRONYMO ob similitudinem nominis turpiter confusisse. De hoc enim constat, quod quum expeditionem contra Bulgaros susciperet, ipsius in itinere jam constituti pedes invaserit carbunculus, quem gravis insequetur febris. Huic autem morbo cum nullum Medici invire possent remedium, lectica Selybriam portatus, Strongyli misere occubuit. Docent præterea annales, CONSTANTINUM MAGNUM, donec Romæ fuerit, multa a civibus hujus urbis passum fuisse, ideoque partim tædio insolentia Romanorum, partim desiderio opportuniorem habendi locum, quo suum imperium contra

tra crebras barbararum gentium incursiones defenseret, sedem regni Byzantium transtulisse; quare minime est probabile, quod tanta donatione & gratia gentem ingratis sibi devincire voluerit. Validitatem autem donationis, a CONSTANTINO M. factæ, prorsus infringunt ea, quæ Scriptores coævi & a partium studio, saltem in hoc negotio, alieni, de actu Baptismali ejus memoriarum produnt. Imprimis audiatur EUSEBIUS, qui statim post Imperatoris deceplum suam abtolvit Historiam, a Principibus Successoribus procul dubio & lectam & relectam. Refert autem hic, quod Imperator CONSTANTINUS Episcopis Nicomediæ convocatis significaverit, sibi fuisse propositum, ad exemplum Christi in fluvio Jordane baptismum percipere. Sed quum sentiret, corporis sui compaginem indies magis magisque fatiscentem, mutasset animum, cupiens in arce Nicomodiæ, Anchyrone, in qua decumbereret, sacris Christianismi sollempniter initiari; quare etiam utriusque Sacramenti Novi fœderis tam initiationis, quam confirmationis paucis ante obitum diebus particeps sit factus (*a*). Quocirca non erit reticendum, quod B H'ERONYMUS dicat, CONSTANTINUM ab EUSEBIO, Nicomediæ Episcopo, fuisse baptizatum anno ætatis 65, cum quinque prope antea annis vita excessisset Papa SYLVESTER (*b*). Actu autem baptismali peracto, insignem pecuniarum summam, ut semper fuit munificus, Oratoriis & domiciliis eorum, qui Ecclesiis præerant, exstruendis & amplificandis, nec non pauperibus sublevandis legavit (*c*); de Donatione autem, Episcopo Romano hujusque Successoribus facta, ne verbum quidem adfert EUSEBIUS, qui nec refert, quemquam ex occidentalibus Episcopis sollemni isti interfuisse actui. Cumque nec in scriptis AMBROSI, PROSPERI, SOCRATIS, THEODORETI, SOZOMENI, ISIODORI aut in Chronico ALEXANDRINO ulla fiat Donationis Constanti-

stantinianæ mentio; concludere par est, pragmaticæ hujus sanctionis instrumentum recentiori ævo, dum magis magisque ingravesceret Hieromonarchia Papalis, fuisse confitum.

(a) Vid. *EUSEBII Vita CONSTANTINI M. Libr. IV. Cap. 61.* b) Confr. *HIERONYMI Chronicum.* (c) Vid. *EUSEBII libr. modo citat.*

§. X.

Nec alia a nobis prætereunda sunt argumenta, quæ evincunt, quam sublestæ fidei sit instrumentum Donationis Constantinianæ. Scilicet vi ejusdem conceditur Pontifici SYLVESTRO, qui Imperatori CONSTANTINO baptismum Romæ administraverat, principatus super quatuor præcipuas Orbis Christiani Ecclesias, Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam, & Hierosolymitanam. Enimvero dum hæc facta esse perhibent Romanenses, Ecclesia Constantinopolitana, urbe cognomine nondum fundata, nullibi, nisi forte in mente Imperatoris, exsistebat, & Ecclesia Hierosolymitana demum post CONSTANTINI decesum ad Patriarchalem dignitatem pervenit. Deinde notissimum est, quod Imperator CONSTANTINUS M. paucis ante obitum annis vastum quod tenebat, imperium inter tres filios ita diviserit, ut maximo natu CONSTANTINO Gallia, Hispania & Magna Britannia, CONSTANTIO, quem præ ceteris dilexit, Asia, Syria & Ægyptus, CONSTANTI denique tota Italia, Illyria & Africa cederent; quare etiam imperium totius Italæ & urbis Romæ penes Successores CONSTANTINI M. per centum annos usque ad Imperatoris HONORII finem imperii, Pontificibus Romanis sua jura

nunquam reclamantibus, mansit integrum. Denique fabulæ hujus Machinator, quisquis ille fuerit, in eo etiam suam prodit infiriam, quod ad finem instrumenti ponat, illud consignatum fuisse FLAVIO CONSTANTIINO AUGUSTO & GALLICANO Consulibus; quem tamen in fastis Consularibus OVIUS GALlicanus & SEPTIMIUS BASSUS dicantur Collegæ (a). Quæ singula probe ponderata satis ostendunt, donationem sapienter memoratam esse plane fictitiam, & proinde fundamentum, quod civili suæ potestati hinc arcessant Pontifices Romani, esse prorsus precarium.

(a) Vid. BOXHORNII *fast. Consular.* p. m. 279.

§. XI.

Serenitatem, quam cœtui Christiano concesserat Imperator CONSTANTINUS M, insequentium temporum procellæ valde turbarunt, adeo ut Ecclesia haud dissimilis fuerit navi, inter frementes fluctus & scopulos jactatae. Tantum igitur absuit, ut Pontifices Romani in partem quandam imperii civilis isthac tempestate venerint, ut ne quidem in negotiis Ecclesiasticis summam habuerint potestatem; hinc Conciliis in diversas ab Episcopo Romano sententias non raro abeuntibus, illinc Imperatoribus, auctoritate Pontificatus Maximi, quem gerebant, potentiam sibi graviter adserentibus, de rebus fidei atque negotiis in Conciliis actis, quod sibi videretur convenientissimum, decernendi. Et si qui essent Papæ, opinionum suarum tenaciores, quam ut Imperatorum decretis lèse accommodarent, eos, spretis etiam brutis excommunicationum fulminibus, non ut imperii æmulos, sed ut refractarios cives, de gradu Episcopali dejectos, in exsilium pepulerunt. Post divisum autem ab Imperatore

ratore THEODOSIO Magno inter filios imperium Romanum, & post sedem imperii Occidentalis ab urbe Roma Ravennam translatam, quum insequentes Principes non ea, qua par fuit &c olim viguerat, constantia ac prudenter habendas imperii tractarent, mutata est pristina reipublicæ Romanæ facies. Quantum hæc ab avita degeneraverat dignitate constitit præcipue Imperatoris VALENTINIANI III. ætate, quippe quem mater PLACIDIA ita educaverat, ut sacerdotio, quam imperio dignior centeretur. Hic igitur ab Episcopo Romano, LEONE I. circumventus, huic primatum, sed tantummodo in rebus Ecclesiasticis, concessit. Inter novellas enim Valentianas occurrit Constitutio hujus tenoris: sine Pontificis Romani consensu nulli Episcopo erit permisum, in Religionis negotio quidquam innovare, sed singuli Clerici observabunt decreta Papæ Romani, ut alias leges latas: Et si quis Clericus ad tribunal Pontificis citatus, sponte non compareat, ope Magistratus ad officium cogetur. Unde apparet, hoc editio tamam Pontifici Romano in Ecclesiasticis concessam fuisse potestatem, quanta ad Ecclesiæ directionem requiratur, ipsos vero in negotia ci-vilia, quæ Majestatem imperii concernerent, nullum, saltem directum, habuisse influxum.

§. XII.

Exstincto autem sub AUGUSTULO imperio Romanorum Occidentali, Gothorum Rex ODOACER, summa potitus, inter alias Constitutiones sanxit, ut electus qui libet Papa Romanus in munere Pontificali a Rege Italiae confirmaretur. Hanc subjectionem ægre admodum tulerunt hi Episcopi; quare Papa SYMMACHUS, quum Ostrogothorum Regem THEODORICUM Magnum sibi haberet faventissimum, exploraturus fortasse, quoisque

hic sibi indulgeret, habita Synodo, dictam ODOACRI constitutionem abrogavit, nec tamen in THEODORICI indignationem hoc ausu incurrit. Vana tamen fuisse molimina Symmachi vel inde apparet, quod constitutio Odoaci, pristino vigori restituta, per duo dehinc sacula observata fuerit, Pontificesque Romani fuerint coacti Imperatoribus Constantinopolitanis pro sua confirmatione ingentem pecuniarum summam solvere. Tandem vero haec lex An. Chr 684 ab Orientis Imperatore CONSTANTINO POGONATO in gratiam Pontificis BENEDICTI II. fuit abrogata. Liberius igitur posthac spirare cœperunt Papæ; qui quo majori seruebant ambitione, eo magis externam adfectabant modestiam, ad honoris culmen non evolantes, sed pederentim enitentes. Interjecto itaque tempore ab Imperatore JUSTINIANO I., cuius præcipua voluptas fuit, nōdosis excutiendi quæstiones Theologicas, impetrarunt facultatem judicandi clericos in rebus non solum Ecclesiasticis, sed etiam civilibus ac criminalibus. Fuit autem jurisdictio haec Papalis majestati Imperiali subordinata, immo nec territorio nec vi coactiva adhuc gaudebant. Sequentibus vero lustris quum potestas Imperatorum Orientalium per Italiam magis magisque quasi confabesceret, & Exarchi plerique huc missi impotenter fese gererent, factum est, ut multæ potentiores Italiæ civitates proprios sibi constituerent Duces; in quo turbulentio statu nec Pontifices Romani sibi defuerunt, sed consiliis, operis atque opportunis largitionibus ira ci-vium tuorum animos sibi devinxerunt, ut hi benefactores suos tantum colerent, quantum impotentes Orientis Monarchs vel contemnerent vel averfarentur. Animadvertisit hoc Longobardorum Rex LUPPRANDUS, qui animo totius Italæ regnum dudum fuerat complexus; quamobrem etiam in exorta contentione inter Orientis Imperatorem LEONEM III. *Iauricum* dictum & Pontificem

cem Romanum GREGORIUM II, occasione hæresecos I. conoclasticæ, Rex non solum ad partes Papæ transiit, verum etiam quum inter cæteras urbes, in isto tumultu a se expugnatas, oppidum, *Sutri* dictum, Romæ vicinum, cepisset, hoc a se prius spoliatum religiose dicavit B. Apostolis PETRO & PAULO, id est Ecclesiæ Romanæ, ex qua donatione initium potestatis civilis Pontificum Romanorum forte erit arcessendum (*a*). Enimvero quum urbs modo memorata jure pertineret ad Imperatorem Constantinopolitanum, qui illud nec amiserat nec in alium transtulerat, quamvis ipsum sibi vindicare tunc non posset; evidens est, quod Rex LUITPRANDUS ex alieno fuerit munificus, adeoque quantilla etiam hæc fuerit Pontificum Romanorum potestas civilis, ejus tamen fundamentum sit omnino precarium.

(*a*) Vid. MURATORI *Annal. d' Italie* Tom. IV. p. 254, 255, & *L' abrégé de l' Histoire d' Italie* Tom. I. p. 322. *sequi.*

§. XIII.

Quamvis autem imperium Orientale Occidentali fuisse aliquamdiu superstes; hac tamen, de qua loquimur, ætate partim internis de solio contentionibus, partim etiam crebris exterarum gentium incursionibus ad tantam impotentiam fuit redactum, ut Imperatores satis haberent, si suas in Oriente provincias tueri possent, negotiationibus magis, quam armis jus suum in Italiam cæterasque Europæ partes sibi adserentes. Quum itaque Pontifices Romani multum auctoritate, quam Religionis cura sibi procuraverant, per Italiam imprimis valerent, hos tam humanissimis litteris, quam amplis donationibus

bus sibi devincere studuerunt Græcorum Imperatores. Perhibent igitur nonnulli, quod Imperator **CONSTANTINUS COPRONYMUS** Papæ Romano **ZACHARIAE**, qui solus fere progressum Longobardorum per Italiam retardasset, duas easdemque non exiguae amplitudinis terras concesserit (*a*). Modica nihilominus fuerunt hæc, atque his similia incrementa potestatis civilis Pontificum Romanorum, qui jam tum prævidebant, se Monarchas Italiam futuros, modo Longobardorum Reges, acerrimos tanti imperii æmulos, vel opprimere vel extra Italiam possent expellere. Longobardici vicissim Principes, hæc Episcoporum Romanorum molimina ex indicis minime ambiguis comperientes, nullam omnino prætermiserunt occasionem, qua dominii sui territorium possent extenderet, Pontificibus pro re nata vel blandientes, vel eis opportune resistentes. Atque in isthac palæstra sese imprimis exercuerunt Longobardorum Rex **AISTULPHUS** & Pontifex **STEPHANUS II**; sed quum hic imparem sese sentiret, qui illius calliditati & potentiaz moras nœctaret, Imperatore Græcorum **CONSTANTINO V** suppeditias tantas, quantas postulabat necessitas, in Italiam non mitteute, Pontifex modo dictus Regem Galliæ **PIPINUM** opibus atque copiis tunc præcipue valentem non suo, sed Apostoli **PETRI** nomine per litteras humiliter compellat, rogans & obtestans, ne sancto **PETRO**, in angustiis constituto, deesset, neve B. Apostolum furori Longobardorum relinqueret. Quum autem **PIPINUM** tantum, quantum vellet, non ita moveret **STEPHANUS**, ipse in Galliam sese contulit, ubi coram Rege & Regni Proceribus caussam B. **PETRI** sic egit, ut **PIPINUS** exercitum non solum in Italiam traduxerit, sed **AISTULPHUM** etiam ita ad incitas redegerit, ut hic Exarchatu & urbibus Pentapoleos ac totius Æmiliae excedere coactus, arbitrio Regis Galliæ sese submiserit. Hæc autem loca



Ioca PIPINUS deinceps non Græcorum Imperatori, quamvis hic jus suum in eadem reclamaret, sed sancto PETRO hujusque successoribus, Episcopis Romanis, in propriam possessionem ex condicto donavit. Hinc ingenti comitatu stipatus Rex Galliæ Romam ut vicer se contulit, in sepulcro B. PETRI depositurus cum claves urbium ipsi concessarum, tum etjam instrumentum magnificæ hujus donationis, quæ deinceps Ecclesiæ archivis fuerunt illata. Per celebrem itaque hanc donationem Pontifices Romani obtinuerunt tres provincias & virginis duas urbes; quibus adhuc oppidum munitissimum Narniam in Ducatu Umbriensi adjecit PIPINUS, antequam ex Italia discederet (b).

(a) Vid. *L' abrégé de l' Histoire d' Italie* Tom. I. p. 334-336. (b) Vid. *MURATORI Annal. d' Italie* Tom. IV. p. 312. seq.

§. XIV.

Postulat instituti ratio, ut donationis hujus validitatem exposituri, ad æquitatis lancem ipsam expendamus. Scilicet dejecto a Galliæ folio herede ejusdem legitimo, Rege CHILDERICO, hujus locum, quoniam potentia valeret, occupavit PIPINUS, non eludens, sed aperte violans homagium, quo Regi suo fidem sancte pridem obstrinxerat. Oestro ambitionis quantumvis percitus, sensit tamen stimulos conscientiæ, commisum facinus sibi iterum iterumque exprobrantis; quare Pontifici Romano STEPHANO multum debuit, quod vi potestatis, in cœlum & terram sibi concessæ, a perjurii crimine ipsum liberare dignaretur. Esto autem, ex vulgi opinione, magnum ita Regi Galliæ præstatum fuisse beneficium, an

vero propterea iniqua usuratio iniquiori adhuc expugnatione & iniquissima denique donatione speciem justitiae nancisci potuerit? Aut qua, quælo, fronde ne dicam quam sanctis manibus Papa Romanus arripere potuit possessiones, quas novit legitimo Domino fuisse extortas, præterim quum supremam Imperatoris Constantinopolitani auctoritatem tam in se, quam in Italæ provincias adhuc agnoscere deberet Pontifex. In singulis enim litteris, quas etiam post ingentem in Italia factam rerum conversionem Imperatori Græcorum scripserunt Papa atque Senatus Romanus, ab anno imperii Monarchæ Constantinopolitani dies & annos computant. Immo Senatus in his Pontificem vocat non solum Principem, sed Pastorem tantummodo ac Patrem. Quid? Quod Instrumentum donationis Pipinianæ, æque ac Constantianæ, dudum perierit, adeoque incertum sit, quoousque donatio illa sele extenderit, an scilicet dominium vel plenum, vel utile solummodo in Exarchatum & cætera loca Pontificibus Romanis fuerit concessum. De qua quidem re etiam cordatores Italici Scriptores, quorum oculis superstitionis glaucoma non fuit objectum, dubitant; ita enim MURATORI loc. cit. *On ne peut douter, que Pépin n'aït donné au saint Siège l'Exarchat & la Pentapole, sans y rien laisser à l'Empereur Grec; mais s'il s'y réserva pour lui même quelque sort de domaine, c'est ce qui n'est pas décidé.* Denique ne jure quidem bellum occupatas Italæ provincias sibi vindicare potuit PIPINUS, siquidem nulla plane injuria ipsum prior laceraverat Imperator, cuius tota fuit culpa, quod per publicas calamitates suas in Occidente terras defendere non posset; nedum generose fecit Galliæ Rex, quod rebellem civem & imperium Monarchæ sui ægre ferentem, qualis erat Pontifex Romanus, immeritis mactaverit beneficiis. Sicut igitur donatio PIPINI fuit perquam absonta; ita acceptatio Pontificis

tificis erat maxime injuria. Ex quibus in summam collectis sequitur, donationem Galliae Regis PIPINI præcarium tantummodo fundamentum subterraneo potestati civili Pontificum Romanorum,

§. XV.

Sicut invidia plerumque est gloriæ ac potentia na-
scientis comes; ita quoque tranquillam provinciarum, si-
bi concessarum, possessionem difficulter impetrare potu-
erunt Pontifices Romani. Occubuerat quidem Longo-
bardorum Rex AISTULPHUS, sed in ejus locum suc-
cesserat FLAVIUS DESIDERIUS, æque impiger & eis-
dem artibus Politicis innutritus. Huic quum ad guber-
nacula regni accessum redderet difficilem RACHISUS,
quem, a solii Longobardici culmine dejectum, claustris
monasterii incluserat AISTULPHUS, pluresque populi
ad pristinum Dominum restituendum concurrerent, DE-
SIDERIUS, ne in hoc rerum articulo sibi deeslet, Pon-
tifici Romano STEPHANO II. promisit, si opem sibi fer-
ret, fore, ut ipse vicissim regnum Longobardicum, sublato vel
oppresso æmulo, adeptus, non solum urbes Faventiam,
Caballum & Ferrariam, sibi ab AISTULPHO addictas
quidem, sed nondum redditas, illi traderet, verum etiam
conditiones perennaturi foederis, quales Pontifex præscri-
beret, reciperet. Per placuit isthæc Regis DESIDERII
pollicitatio Papæ Romano, qui de executione hujus pro-
missi certior factus, eo rem deduxit, ut Rachisus, suæ
saluti consulturus, ad tenebras monasteriales fese recipere
coactus fuerit. Ita DESIDERIUS habens regni Lon-
gobardici ex voto capessivit; sed quum traditionem ur-
bium promissarum ex condicione postularet Pontifex, sur-
das in DESIDERIO invenit aures; quare etiam priores
simultates inter hos imperii Italici æmulos recruduerunt.

Arcte igitur etiamnum habitabat Papa, quem videlicet urgebat hinc DESIDERIUS, illinc Imperator Constantopolitanus, qui non solum meridionalēm Italīe partem tenebat, verum etiam imperium in Ducatum Romanensem & ipsam urbem Romam actu exercebat, & cui homagium præstare Romani, speciatim ita dicti, nondum detrectaverant. Contendentium horum Principum vires callide inter se libravit Galliæ Rex PIPINUS, qui tamen sicut non ferret Imperatorem Græcorum, quod hic sese cæteris superiorem crederet, nec Longobardorum Regem, ut æqualem ferme; ita in Pontificem Romanum, quem sibi devotum cognoverat, imprimis fuit propensus; cui proinde suppetias etiam tulisset, nisi morte præventus, tantas lites componendas filio ac successori relinquere coactus fuisset. Quocirca auspicato accidit, ut Galliæ Rex CAROLUS, cui potentia & res feliciter gestæ nomen *Magni* pepererunt, Pontifici Romano pariter ac Pater faveret, adfinitatisque vincula inter CAROLUM & DESIDERIUM nexa, hujus præcipue imprudentia fuerint dissoluta. Scilicet CAROLOMANI, CAROLI M. fratris, uxorem BERTHAM hujusque filios, qui metu Regis Paviam sese contulerant, in suam non solum tutelam receperat, sed Pontificem etiam circumvenire studuit, ut hic CAROLOMANI filios in præjudicium CAROLI, Reges Galliæ ungeret, quo sic & Gallia interfino commoveretur bello, & Pontifex simul CAROLO invitis redderetur, in quo turbido rerum statu totam Italiam in suam redigeret potestatem. Animadvertis autem Pontifex, quorum operosa hæc tenderent molimina, votis DESIDERII non annoit; quare hic nihil cunctandum ratus, in Exarchatum irrumpens, varias urbes suæ ditioni adjecit, Romæ etiam obsidionem minatus. In tanis angustiis constitutus Papa HADR'ANUS I. quo vix callidior fuit alter, partim in DESIDERIUM fulmen excom-


excommunicationis vibravit, partim in suas partes sollicitavit Galliae Regem CAROLUM M., quem Patricium Romanum haud ita pridem fecerat. Hic Alpes transiens, post expugnationem haud operosam urbium Ticini atque Veronæ, captumque DESIDERIUM, regnum Longobardicum, quod per ducentos & sex annos steterat, debellavit. In hac expeditione CAROLUS confirmasse dicitur Donationem, a Patre PIPINO fedi Apostolicae factam, ita ut Romandiola & Ducatu Urbino adjecerit Patrimonium PETRI; quo non provincia quedam, sed certa loca in Ducatis Umbriensi, Beneventino, Hettrensi, in Campania Romana, alibique sita indigitabantur. Enimvero nec hujus donationis instrumentum ætatem tulit, nec quisquam apographum ejusdem in lucem adhuc producere potuit, Pontificibus de eo, ut videtur, sollicitis, ne talia uspiam invenirentur documenta, quæ infinitæ eorum ambitioni justos ponerent fines. Quamvis autem Pontifici amicus fuerit CAROLUS, quo tamen erat animo, amicior erat suæ dominationi; quare supremam etiam in Italiam retinuit potestatem, siquidem non nomine solum, sed re ipsa fuerit primo Italæ Rex & paullo post Imperator Romanorum, Pontifex quoque & Senatus populusque Romanus ipsi, ut legitimo Monarchæ, homagium præstiterint, annosque postea ab exordio imperii CAROLI in signum subjectionis computavarent. Et quamvis Pontifex in Exarchatum & nonnullas præterea provincias habuerit jurisdictionem civilem, atque ex eisdem dominium utile; inde tamen non sequitur, Pontifices tuisse sui juris Principes in civilibus, sed illustres modo imperii cives; adeoque munificentia Gallicæ Regis CAROLI dominatui Paparum Romanorum civili fundamentum non nisi precarium præbet,

§. XVI.

Gallorum Regi CAROLO M., postquam parem cum prioribus Occidentis Imperatoribus obtinuerat potentiam, nihil deesse videbatur præter Augustum Imperatoris titulum, quem etiam ex decreto Senatus populi Romani nec non Gallorum ipsi impertivit Papa HADRIANUS I, qui præco tantum fuit illustris hujus sollemnitatis; quo tamen actu tantum suæ potentiae, quantum Imperatoris vanitati consuluit. Præ se enim haud obscurè ferebat Pontifex, quod qui Europæ dedisset Imperatorem, ipse quoque potestatem haberet, Reges, Principes atque Duces constituendi. Quam imaginariam facultatem Pontifices paullo post exercuerunt in eas regiones, quæ Imperatori Græcorum parebant. Papa enim LEO IX a Normannis, qui sedes sibi in Sicilia constituerant, captus, sed ab eisdem mox generose dimissus, ipsorum Dukes vicissim in suam & S. PETRI clientelam recepit, ipsis liberaliter concedens tam ea, quæ in Apulia occupaverant, quam insuper omnia loca, quæ legitimis Dominis, Imperatoribus Constantinopolitanis, in meridionali Italæ parte possent eripere. Quæ tamen beneficia fuerunt hamata, siquidem Vasallorum horum copiis sine suis impensis uti vellet cum ad debellandas residuas Græcorum in Italia opes, tum etiam ad comminuendam Imperatorum Germanorum in has oras potestatem, atque ita ad totam Italiam cum in Ecclesiasticis tum in civilibus negotiis sibi subjiciendam. Quod ut eo facilius ipsis succederet, pacificum Christi animum leponentes Pontifices, & dominandi pruritu turgidi, pedum deponunt, Ecclesiastica negotia ministris curanda interea relinquunt, dum ipsi lagum induunt, copias contrahunt, contractasque in eorum auxilium ipsi ducunt, quos sociorum nomine dignantur. Tantis vero ausis perficiendis admodum inserviebant

bant turbulentia, quæ insequebantur, tempora, dissidia-
que, quæ inter Successores ac posteros CAROLI M. ex-
stiterunt, internecina. Imprimis autem Pontifices opportu-
nam nacti sunt occasionem, suam dilatandi potentiam,
ferventibus expeditionibus cruciatis, quibus Principes
Europæ fanaticismo quodam Politico, quem Papæ dextre
alebant, in transversum acti, suas deserebant regiones,
easque civibus & opibus exhatiebant, in locis, alio
quasi sole calentibus, gentem ferme ignotam debellaturi,
& sepulchrum Salvatoris tantis moliminiibus sibi vindici-
caturi. Barbatis igitur hisce sæculis, humanitate inter
continuos belli fragores quasi oppresa, ignorantia, &
quæ hujus est filia, superstitione longe lateque increverunt.
Pontifex igitur Romanus, qui medium participationis in-
ter Deum & homines hastenus fuit habitus, deinceps ut
Vicarius Dei in his terris adorabatur, ejusque iusta, quan-
tumvis in se iniqua, non exsequi, piaculum censebatur.
Fulmina igitur ex Olympo Capitolino jacta tantam ha-
buerunt vim, ut subjectionis ejam vinculum, quo ci-
vies Principi suo erant obstricti, protinus dissolverent.
Hinc Pontifices supremam sibi potestatem in omnes gen-
tes, præcipue in Christianas, arrogarunt, eodem in eas
usi jure, quo illi gaudent, qui simplicitate & stupiditate
aliorum abutuntur ad bona horum occupanda. Atque ne-
fanda hæc Monarchia Papalis, precariis licet fundamentis
superstructa, usque ad tempora Megalandri LUTHERI
permansit, qui, reductis humanioribus litteris & dissipati-
bus superstitionum præstigiis magnum hoc iniquitatis
mysterium detexit, confutavit, debellavit.

S. D. G.



are to be employed in this regard, and we have found
them to be of great value, especially when the
temperature of the water is low. We have also
tried the use of lime and other chemicals, which
have given good results, but are not so satisfactory
as the use of organic materials. We have found
that the use of organic materials is more
economical than the use of lime, and it is also
more effective in removing the organic matter
from the water. We have also found that the
use of organic materials is more effective in
removing the organic matter from the water
than the use of lime, and it is also more
economical than the use of lime. We have also
found that the use of organic materials is more
effective in removing the organic matter from the water
than the use of lime, and it is also more
economical than the use of lime. We have also
found that the use of organic materials is more
effective in removing the organic matter from the water
than the use of lime, and it is also more
economical than the use of lime. We have also
found that the use of organic materials is more
effective in removing the organic matter from the water
than the use of lime, and it is also more
economical than the use of lime. We have also
found that the use of organic materials is more
effective in removing the organic matter from the water
than the use of lime, and it is also more
economical than the use of lime. We have also
found that the use of organic materials is more
effective in removing the organic matter from the water
than the use of lime, and it is also more
economical than the use of lime. We have also
found that the use of organic materials is more
effective in removing the organic matter from the water
than the use of lime, and it is also more
economical than the use of lime. We have also
found that the use of organic materials is more
effective in removing the organic matter from the water
than the use of lime, and it is also more
economical than the use of lime. We have also
found that the use of organic materials is more
effective in removing the organic matter from the water
than the use of lime, and it is also more
economical than the use of lime. We have also
found that the use of organic materials is more
effective in removing the organic matter from the water
than the use of lime, and it is also more
economical than the use of lime.

6 6 6